

pullorum, sed suinas carnes et lacticinia, atque adeo boves, unde speramus rei nostræ familiari magnum incrementum. Hæc minute scribo, quia voluit ad se rescribi Paternitas vestra.

Res vero Christiana progressum hîc capit expectatione nostrâ multis partibus majorem: numeramus enim hoc postremo anno baptizatos, fere septingentos supra mille: omissis pluribus, quos a Patre Antonio Daniel infra dicemus fuisse baptizatos, quorum numerus constare nobis certo non potuit. Neque vero ii sunt Christiani, quantumvis barbari, quos primum esset suspicari, rudes rerum cœlestium, neque satis idoneos mysteriis nostris. Plerique sane res divinas sapiunt, atque intime penetrant; nec desunt nonnulli, quorum virtuti, pietati, et eximiæ sanctitati, invidere sancte possint etiam Religiosi sanctissimi. Sic plane ut qui hæc viderit oculatus testis, mirari satis non possit digitum Dei sibique adeo gratuletur, tam felicem provinciam, tam divitem donis cœlestibus, labori suo obtigisse.

Undecim missiones excolimus, octo linguae Huronensis, tres Algonquinæ: totidem Patribus veteranis divisus labor. Linguae addiscendæ quatuor vacant, superiore anno ad nos missi: quos quidem præcipuis missionariis comites adjunximus. Sic adeo ut tres solum Patres domi consistant; alter verum spirituum Præfector, alter Procurator et minister, tertius demum Christianorum curæ undique adventantium præpositus. Christianorum enim paupertati de paupertate nostra subvenimus, eorumque morbos curamus, non animi modo, sed etiam corporis: magno sane profectu Rei Christianæ. Numeravimus hoc